



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tribunal Poenitentiae Sev Libri Dvo Prior De Poenitente Ut Reo Posterior De Confessario Ut Judice

Stoz, Matthäus

Anno M.DC.LXXXIX.

§. 2. Quomodo ad interrogationem expressam de Confessione?

urn:nbn:de:hbz:466:1-37144

Barb. in Collectan. ad cap. omnis utriusq. 13. de remiss. & pœnit. n. 18. Dian. cit. Ref. 43. cum S. Thoma. & omnibus aliis teste Lug. n. 73. contra Altiſiodorenſem & Gabriel. quorum ſententia cenſetur erronea. Ratio, quia ultimata intentio ita ſimpliciter interrogantis, uti debet eſſe, ſic ſemper præſumitur eſſe tantùm de ſcientia & auditione humana, ſpectante ad commercium humanum, communicabili aliis &c. non de Divina, extra commercium hominum poſitâ, incommunicabili &c. atqui cùm & ad intentionem interrogantis, & ad noſtram mentem conformiter reſpondemus, non poſſumus ullo modo argui alicujus mendacii aut perjuri. Tan. tom. 3. Diſp. 5. q. 2. n. 29. ergo nec hic Confefſarius.

Deinde verba hæc: ſcio, audivi, nihil ſcio, nihil audivi, ſunt æquivoca, & ex vi ſuæ impositionis ſignificant plura inter ſe diverſa, ut modo indicavi, atqui ex juſta cauſa licitum eſt alicui reſpondere per verba æquivoca, accipiendo illa in eo ſenſu, qui verus eſt, etſi interrogans putet per ſuum errorem, illa accipi in alio, & eo, qui hîc & nunc falſus eſſet. Laym. l. 4. tr. 3. cap. 13. n. 5. Azor. p. 1. lib. 11. cap. 4. q. 5. Tan. tom. 3. Diſp. 6. q. 2. n. 23. & alii. vide ſup. lib. 1. p. 3. n. 219. & ſeq. ergo Confefſarius ſi ſimpliciter tantùm interrogetur, rectiſſimè dicit, vel etiam jurat, ſe de peccato pœnitentis nihil ſcire, nihil audiviſſe, hoc eſt, ſcientiâ humanâ, communicabili aliis &c. etſi interrogans putet, eum loqui etiam de ſcientia Divina, Sacramentali &c. Atque hæc quoad interrogationem ſimpliciter factam.

R. P. Stoz. Trib. Pœnit. Lib. II,

Quomodo ad Interrogationem expreſſam de Confeſſione?

267. Sed quid & quomodo Confefſarius loqui poteſt, aut debet, cùm interrogans expreſſè vult & querit, an non ex confeſſione Sacramentali ſciat? an non in ea audiverit, pœnitentem hoc vel illud peccâſſe? Vel cùm à verbis, quæ ex ſua impositione, vel ſaltem ex circumſtantiis aliquibus temporis, loci, modi, perſonæ, &c. æquivoca forent, per ſuam interrogationem omnes alios ſenſus excludit, & tantùm ad unum conſtringit; ſicut etiam hîc fieri poſſe putat Laym. Reginald. Bonnac. Azor. l. cc. Dicat. n. 132. & alii cum Soto, ut ſi querat v. g. an non peccatum pœnitentis ſciat ſcientiâ etiam Divinâ, Sacramentali? an non aliquo quocunque tandem modo audiverit? &c.

Et verò in iſto Caſu Autores citati præter Dicat. exiſtimant, Confefſario nihil aliud ſupereſſe, quàm ut objurget tam ſacrilegè interrogantem; vel dicat, nefas eſſe ad tam ſcleratam interrogationem reſpondere. Verùm quia hujusmodi tergiverſatio planè n. agnam facit ſuſpicionem de notiâ peccati à pœnitente comiſſi & confeſſi; cùm alioqui confefſarii licitè poſſint, & communiter ſtatim ſoleant expreſſè negare: ideo omnes alii docent, Confefſarium neque per iſtam, neque per ullam aliam interrogationis formam poſſe unquam ita conſtringi, ut non adhuc ſemper liberè & rotundè licitiſſimè que dicere poſſit, & debeat, etiam cum Juramento, & poſt Juramentum de dicen-

da veritate factum; *se nihil scire, etiam ex confessione, etiam scientiã Divina, ut ministrum DEI &c. se nihil in confessione audivisse de illo peccato; se nullo, quocunque tandem modo scire, vel audivisse &c.* Hoc autem ut melius intelligatur, quo modo & sensu fieri possit, lucem dabunt sequentia. Nam

268. Certum est I. quòd in nullo casu liceat mentiri, cum mendacium sit intrinsecè malum. Laym. *lib. 4. tit. 3. cap. 13. n. 8. & sup. p. 3. n. 216.*

Certum est II. quòd itidem in nullo casu liceat sigillum confessionis sine expressa pœnitentis licentia revelare. *sup. n. 190.*

Certum est III. quòd necessarium sit ad humanum commercium, ita sincerè & fideliter unum cum altero loqui & agere, ut nemo licitè possit alterum per se & directè velle decipere; deceptio enim (sive verbo, sive facto fiat) etiam est aliquod malum, quod neque sibi, neque alteri directè inferre licet. Tan. *tom. 3. Disp. 6. q. 2. n. 24.* quamvis ex justa causa licitè aliquis permittere possit, sicut aliud malum proximi, ita & hoc, ut ille vel à se ipso per errorem suum, vel ab alio decipiatur, maxime si quis id sine proprio suo vel tertii damno impedire nequeat. Laym. *l. c. n. 10. v. confirmatur.*

Certum est IV. Quòd æquè necessarium sit ad commercium humanum & Reipubl. bonum, ut detur aliquis modus, quo quilibet sua secreta possit ita tegere, & recondita servare, ut ipsi invito nemo possit per ullam injustam interrogationem extorquere. Tan. *l. c. n. 34. v. absurdum.* Si enim licet cuilibet quævis

alia sua bona contra violentos aggressores tueri, cur non & sua arcana? sanè in utroque foro tam à Jurisperitis, quàm à Theologis receptum est, legitimo quoq; Judici, si non legitimè, sub quacunque tandem arctissima forma interroget, posse adhuc licito quodam modo & sine mendacio celari veritatem. Aliquos ergo tales modos hic subjungo, & ad propositam sigilli materiam applico.

§. III.

De Responsione per Reservationem mentalem.

269. Primus & valde communis est per Reservationem mentalem; si nimirum Confessarius dicat exterius; *non scio ex confessione; non audivi nullo modo &c.* reservans in mente; *ut ullo modo possim, vel teneam sine licentia pœnitentis tibi revelare.* Id enim quod exterius dicit, & id quod in mente reservat, si simul sumantur, faciunt unam integram propositionem, quæ vocatur à Tan. *l. c.* Mixta, nempe ex vocali & ex mentali; & est ut sic verissima. Quod si quis ulterius urgeat, annon ita sciam, ut nullo modo possim ipsi revelare; vel ut non possim ipsi licitè, possim tamen illicitè revelare; tunc itidem possum, & debeo dicere inepto quæsitore; *neque hoc modo scio;* reservans iterum & cogitans in mente; *ut tibi dicam.* Et in hoc modo putat Card. de Lugo *n. 74.* nullam esse difficultatem, si solum possit ostendi, quòd sit immunis à mendacio.

Sed mihi imprimis non videtur sufficiens. Si enim denique cogar meam ne-

sciam